



Cat alogus Dissertationum Volumine hoc  
comprehensorum.

- 1., De prudentia in disquisitione Lubertiæ dicti Johanni i. Joh. 5. 7.  
Auct. Car. Gottlob Hoffmanno. Vitt. 1766.
- 2., Pietas Cornelii Centurionis Cafuriensis antequam ad eum mitteretur pug-  
nus Act. X. 2 Auct. Joh. Fecht. Rpp. 1701.
- 3., Offeruationes Exegetico-critica et miscellæ super 2 Tim III et IV.  
Auct. Joh. Falck. Semler. Alton. 1753
- 4., Progr. & utilitatibus ex doct. Theologie redundant. Auct. Christ.  
Timoth. Seidelio Helmst.
- 5., De durantie Porutorum Auct. Christ. Frid Samso. Tab. 1756.
- 6., De Vocacione Ministrorum Ecclesiasticorum Divina Euad. ibid 1757.
- 7., Prog. Cur pauci sint boni scholarum Reckores. Auct. Johann.  
Christi Stember Lipsiæ dō 1747.
- 8., De recto et genuino usu argumentorum fidem humanam facien-  
tium, in probanda divina origine P. Litterarum. Joh. Georg.  
Knapp. Halle 1757.
- 9., Quare dico tibi remissa sunt peccata eius multa, quia et c. Luc. VIII. 47.  
Auct. Christoph. Matthæo Pfaffio. Tubing. 1745
- 10., De Peccato in Spiritu S. Prostide Car. Gottlob Hoffmann Auct.  
et respond. Joh. Gottl. Verner hyperint. Iutreb. Vitt. 1755.
- 11., De Omnipotentiâ dei in statu Eini. Auct. Baumgärtel, Halle 1756.
- 12., De literis Elii ad Iorhamum Regem Iudeor. in Cœli scriptis et statu  
XXI. v. 12 auct. Christoph. Matth. Pfaffio 1755
- 13., Explicatio loci difficilioris Joh. X. 33-38. auct. Baumg. 1735 Halle
- 14., De statu animalium separatar. auct. loc. Halle 1754.
- 15., De Iuda sacro Corde coniuncta auct. loc. 1744.
- 16., De redēctione Ecclesie proprio dei sanguine facta act. XII. 28. auct  
Costa Tab. 1753.
- 17., De reliquis Gentilismi in opinionibus de morte auct. Crispio  
1756 Lipsiæ Commentatio prior

19

DE  
PECCATI  
IN SPIRITVM SANCTVM  
IRREMISSIBILITATE  
DISSERTATIO IN AVGURALIS THEOLOGICA  
MODERATORE ATQVE PROMOTORE  
VIRO SVMME VENERABILI  
**CHRISTOPHORO TIMOTHEO  
SEIDELIO**

S. THEOL. D. SEREN. BRVNSV. AC LVNAEBVRG. DVCIS SUPERINTENDENTE  
GENERALI, CAPITVLII IMPERIALIS LIBERI REGIO-LOTHARIENSIS ABBATE,  
S. THEOL. PROFESSORE PRIMAR. IN ACADEMIA IULIA CAROLINA,  
ET PROT-ECCLESIASTE ELMESTADIENSI ACAD. H. VICE-RECTORE,  
FACVLT. THEOL. DECANO ET AD HVNC ACTVM CLEMENTISSIME  
CONSTITVTU PRO-CANCELLARIO,

PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS  
CONSEQVENDIS

D. VII. MARTII M.DCCXLVIII.  
HOR. ANTE ET POMERIDIANIS  
IN IVLEO MAIORI  
PVBlico EXAMINI SVBMITTET

A V C T O R  
**JOANNES ERNESTVS SCHVBERT**

PHILOS. D. ILLVSTRISS. COMIT. SCHAVMBVRG. AC LIPPENS. A. CONSIL. SACKIS  
EIVSD. COMITATVS SVPERINTENDENS, ET PROT-ECCLES.  
STADTHAGENSIS.


---

RECUSA A. C. MDCCCLIV.

(6<sup>1</sup>/<sub>2</sub>)

CHRISTOPHERUS TROMOTOR  
SILENTIO  
MODERATOR ADOLENTIONIS  
VIRGO SUMMA VULNERUM  
DECRETATIO INVARIANS THYMOCYCL  
TERRAMISSIBILATE  
IN SPIRITU SANCTUM  
PECCATI

RECOVRA A G. MCGOWAN



DE PECCATI  
IN SPIRITVM SANCTVM  
IRREMISSIBILITATE

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
THEOLOGICA.



§. I.

D e peccati in spiritum sanctum irremissibili-  
tate, eiusdemque potissimum causa, sp. S. men-  
mihi iam dicturo necesse eo magis esse tio tan-  
videtur, ut, quale hoc ipsum sit peccatum, tum fit  
prævia expositione declaretur, tum, Marc. III.  
quia in varias sententias præstantissimos Luc. XII.  
abire viros manifestum est, cum, quia ex ipsa huius  
peccati ratione formaliter eius demonstrari debet irre-  
missibilitas. Sunt autem tria tantum scripturæ loca,  
A atque

atque hæc unius eiusdemque argumenti, quæ huius peccati mentionem faciunt. Primum habet MATTHÆVS cap. XII. v. 31. 32. Propterea dico vobis: omne peccatum & omnis blasphemia remittetur hominibus, sed blasphemia contra Spiritum non remittetur hominibus. Et si quis dixerit verbum contra filium hominis, remittetur illi; si quis vero dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur illi, neque in hoc seculo, neque in futuro. Secundum exhibet MARCVS cap. III. v. 28. 29. 30. Amen dico vobis, omnia peccata remitti filiis hominum, & blasphemias, quotquot blasphemant. Si quis vero blasphemaverit contra Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus est æterni iudicij. Nam dixerant, eum habere Spiritum impurum. Postremus continetur LVCAE cap. XII. v. 10. Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur illi; qui vero blasphemaverit contra Spiritum sanctum, illi non remittetur.

## §. II.

*Sed non* Sunt, qui huc etiam pertrahunt loca Hebr. VI, Hebr. VI. 4. seqq. X. 26. 1. Ion. V. 16. quoniam ibidem de peccato sermo est, quo commissio homines renovari haud possunt ad penitentiam, aut sacrificio carent, aut pro quo orare non licet. Sed quia his locis vocabulum peccati in Spiritum sanctum non continetur, cuius notio scripturæ non inferri, sed ex illa erui debet, illis nec uti possumus, verum huius criminis conceptum demonstraturi. Itaque non aliud datur fundamentum inveniendi, quale peccatum sit illud in Spiritum sanctum, præter verba Christi, ab Evangelio.

angelistis Matthæo, Marco, & Luca, ll. cit. recitata.  
Quibus vero ut solide superstrui possit tractatio hæc,  
attendi debent circumstantiæ, quæ causa erant, cur  
optimus Salvator noster huius peccati mentionem  
fecerit, & tam graviter de illo locutus sit.

## §. III.

Christus sanaverat hominem cœcum & mutum, *Occasio de-*  
atque eiecerat dæmonem, quo obsessus erat. Sin-  
gulare hoc opus, quod potentiam vere diuinam *Spiritum*  
arguebat, populum, qui illius testis erat oculatus, *S. Inquen-*  
convincebat, *di Christo* hunc Jesum Nazarenum esse filium *data.*  
Davidis, h. e. Messiam patribus promissum. Id  
ægre ferebant Pharisæi, &, cum præclarum hoc  
divinitatis eius argumentum solidis aut speciosis fal-  
sim rationibus confutare non possent, neque tamen  
in eum credere vellent, vt aliquem malitiæ, incre-  
dulitatis, & persecutionis fure haberent prætextum,  
criminabantur, *Jesum dæmones ope principis dæmo-*  
*nium eicere;* adeoque, quod veritatem testimonii  
Salvatoris nostri demonstrare, eorumque fidem pro-  
movere & poterat & debebat, in tam atrocis calu-  
mniæ convertebant materiam. Hac igitur impiaissi-  
ma opinione omnem proponendum fidem excedente  
a Christo solide refutata, tandem, *omne*, inquit, *pec-*  
*catum hominibus remitti potest;* sed *quod in Spiritum*  
*sanctum committitur,* *profus est irremissibile.* Vid.  
Matth. XII. 22-32. Luc. XI. 14. seqq. XII. 1-10.

A 2

§. IV.

## §. IV.

*Pharisei pecc. in Sp. terit.*

*S. commit-*

*tebant,*

*cum dice-*

*rent. Chri-*

*stum ha-*

*bere dæ-*

*monem.*

Quibus præmissis haud difficulter intelligi po-

terit.

1. *Peccatum in Spiritum sanctum esse eiusmodi cri-*  
*men, quale committebant Pharisei & Scribæ, cum di-*  
*cerent, Christum, qui demones eiecerat, hæc opera ve-*  
*re diuina facere efficacia Beelzebub, principis maligno-*  
*rum Spirituum, per illum operantis. Hunc enim con-*  
*ceptum probat occasio salvatori nostro data, atrocità-*  
*tatem huius criminis exaggerandi. Quodsi enim*  
*Pharisei huius delicti rei non fuissent, calumniantes,*  
*Christum habere dæmonem, plane nullam habuis-*  
*set caussam, adhortandi, ut sibi quisque ab hoc pec-*  
*cato caveret, cum in ipsa refutatione huius pharise-*  
*orum criminationis versaretur. Et ne ulla nobis du-*  
*bitandi causa sit, factum Judæorum esse peccatum*  
*in Spiritum sanctum, MARCUS, recitatis verbis*  
*Christi, quæ de hoc peccato agunt, addit: Nam di-*  
*xerant, Christum habere dæmonem. Marc. III. 30.*

## §. V.

*Peccatum hoc pror-*

*fus est ir-*

*remissibile*

Ut vero etiam habeamus characterem, quo hoc

peccatum a reliquis omnibus distinguitur, Christus

expresse dicit.

2. *peccatum in Spiritum sanctum prorsus esse irre-*  
*missibile, b. e. non solum nunquam remitti, sed etiam*  
*remitti haud posse. Quodsi enim Salvator noster lo-*  
*cis antea citatis tantum dixisset, peccatum hoc num-*  
*quam actu remitti, reliqua, quæ huic opponuntur,*  
*omnia,*

omnia, ex eius sententia, aetū & vere remitterentur. Hoc autem non fieri, vel inde pater, quod multi homines absque fide & penitentia, & hinc quoque si ne peccatorum remissione, ex hoc mundo discedunt, post hanc vitam vero, finito scilicet gratiae termino, illam multo minus consequuntur. Quapropter cum posterius, nimirum peccata reliqua tandem aetū remitti, falsum sit, fateri nos oportet, peccatum in Spiritum Sanctum non tantum non condonari, sed etiam condonari non posse.

### §. VI.

Evidem b. IO. REINHARDVS RVSIVS, Theologus in Academia Jenensi quondam celeberrimus, in Harm. Evang. Lib. IV. cap. XIV. Tom. II. p. 1016. arbitratus est, peccatum hoc non absolute irremissibile, sed tantummodo difficulter remissibile esse, ob insiginem animi, quam arguit, malitiam, que ne extraordinaria illa Dei gratia se expugnari patitur; & pro sua sententia laudat WIGANDVM, IVDICEM, HEERBRANDVM, FRANZIVM, VARENIVM, MÜLLERVM, HILDEBRANDVM, MEYERVM, FECHTIVM. Sed quoniam hoc tantum fundamento nititur, quod illa absoluta irremissibilitas cum gratia Dei universalis, eiusve abundantia praे peccato omni, & Christi ad eos, qui huius criminis rei facti erant, adhortatione ad penitentiam conciliari haud posse videtur; non est, quod peccatum hoc aetū quidem, sed tamen difficulter remissibile esse credamus. Inferius enim, ut opinor, evidentissime demonstrabo, nec abundantiam nec universalitatem gratiae divinæ limitari,

nec denique utilitatem aut necessitatem exhortationum Christi ad penitentiam tolli, quamvis peccatum hoc absolute irremissibile esse statuatur. Dico autem, illud absolute irremissibile esse, quatenus contra distinguitur & difficulter remissibili, & aeterno irremissibili; h. e. quatenus nec unquam remittitur, nec remitti quidem potest. Atque ita sentiunt quoque Theologii citra controversiam magni, b. 10. GERHARDVS in LL. Th. Loc. de Pecc. §. 109. Tom. II. p. 303. b. 10. AD. SCHERZER in Brev. Theol. Hyls. Cap. V. p. m. 304. b. 10. ANDR. QVENSTEDT in Syst. Theol. Part. II. cap. II. Sect. II. qu. 19. p. m. 1071. & ex recentioribus Celeberr. IAC. CARPOVIVS in Theol. Rev. Dogm. Part. II. cap. IV. §. 1394. Tom. I. p. 813.

### §. VII.

*Sententia  
Pontifici-  
orum de  
peccato in  
Sp. S.*

Hoc supposito, nimurum Judæos, quos reprehendebat Christus, peccatum in Spiritum Sanctum commisisse, (d. 4.) & ipsum hoc peccatum irremissibile esse, (d. 5.) facilior nobis via erit, veram huius peccati notionem inveniendi, falsasque de illius natura opiniones removendi. PONTIFICII, Magistrum sententiarum sequunt, sex numerant huius peccati species, desperationem, præsumptionem, impenitentiam, obstinationem, impugnationem veritatis agnitæ, & inadvertentiam fraternali gratiæ. Sed quoniam haec est specierum enumeratio, non autem rationis formalis determinatio, de generali conceptu inveniendo laborauit THOMAS AQUINAS in Summa Theol. in secunda secundæ Qu. XIV. Aet. I. p. m. 31. & tres veterum sententias exhibuit. Prima est

est ATHANASII, HILARII, aliorumque, & in eo  
consiluit, quando ad literam aliquid blasphemum dici-  
tur contra Spiritum Sanctum, sive sic accipiatur pro  
nomine essentiali totius Trinitatis, sive pro nomine per-  
sonali tertiae personae; secunda est sancti AVGVSTINI,  
qui impunitentiam sualem quamcumque peccatum in  
Spiritum Sanctum esse voluit; Tertia omne pecca-  
tum ex certa malitia profectum facit peccatum in Spi-  
ritum Sanctum, & qui hanc amplectuntur, pecca-  
ta ex infirmitate peccata in patrem, peccata vero  
ex ignorantia peccata in filium vocant. Hisce tribus  
opinionibus quartam addit BELLARMINVS in Dispp.  
de controv. fidei Tom. III. de pœnit. Lib. II. cap. XVI.  
p. 1109. eamque reliquis omnibus præferendam esse  
censet. Nimirum ex huius Doctoris sententia pec-  
catum in Spiritum Sanctum nihil aliud est, quam  
veritatem cognitam & manifestam, ex malitia impro-  
bare, & tanquam daemonicam & detestabilem calu-  
miniari.

### §. VIII.

Ab hac sententia non multum recedunt NO-  
STRATES, qui vulgarem de natura huius peccati noſtro-  
opinionem defendunt. Ita enim QVENSTEDT in rum Theol.  
Syft. Theol. Part. II. cap. II. ſect. I. th. 99. p. m. 951.  
Forma peccati in Spiritum sanctum conficit 1. in doctri-  
næ evangelice evidenter & ſufficienter agnita & appro-  
batæ ex plene libera & non impedita voluntate facta ab-  
negatione, 2. eiusdem hoſtili oppugnatione, & 3. volun-  
taria & airoci blasphematione. Ut autem quisque  
intelligat, quid sit, ex plene libera & non impedita  
volun-

voluntate veritatem agnitam abnegare, illustrationis  
 causa addit: Eiusmodi peccator nec pericula habet, aut  
 minas, quas pertimescat, nec promissa, quibus invite-  
 tur, sed peccat gratis, temere, malitiose. Si hæc ani-  
 mi dispositio ad constituendam huius peccati natu-  
 ram requiritur, fere dixerim, crimen in Spiritum  
 sanctum & impossibile, & nunquam commissum  
 esse. Quia enim mentis humanæ constitutio &  
 indoles postulat, ut id saltim velimus, quod nobis bo-  
 num esse videtur, & id nolimus, quod malum esse  
 arbitramur, homo, qui veritatem agnitam publice  
 abnegat, impugnat, & calumniatur, hoc detesta-  
 bile factum sibi bonum, veritatis vero professionem  
 mali quid sibi esse putet, necesse est. Sane Phari-  
 sæi, qui huius criminis accusabantur a Christo, hoc  
 animi morbo laborabant. Timebant enim, si nihil  
 peius, certe tamen magnam famæ suæ violationem,  
 si Christum & doctrinam eius publice profiterentur,  
 aut illi non animi vehementia & virulentis verbis  
 contradicerent. Hac igitur vanitate & ambitione &  
 hoc contemptus & infamiae metu impulsi crimina-  
 bantur, Christum habere dæmonem, eiusque do-  
 ctrinam ex orco resuscitatam esse. Quam difficulta-  
 tem cum animadverterint recentiores, concedunt  
 quidem, peccatum hoc ex motivo boni apparentis  
 aut lucri cuiusdam temporalis, adeoque ex metu  
 iacturæ huius boni, ab hominibus committi, in eo  
 tamen adsentiuunt maioribus, quod peccatum in  
 Spiritum sanctum sit spontanea abnegatio veritatis  
 cœlestis agnitæ, connexa cum blasphematione &  
 persecutione malitiosa. Sic enim *celeberrimus CAR-*  
POVI-

**P**OVIUS in Theol. Dogm. Tom. I. Part. II. cap. IV. §. 1388.  
*Peccatum in Spiritum sanctum consistit in malitia, speciosa, & finali oppugnatione veritatis celestis, ad salutem homini applicandae.* Et IO. PET. REV SCHIVS, Philosophus & Theologus in Academia Jenensi celeberrimus, in Introd. in Theol. Rev. §. 399. p. 773. seq. inquit: *sic ergo manifestum est ex antecedentibus, quod forma peccati in Spiritum sanctum consistat in concursum trium aetuum, induculo nexo ita coherentium, ut, uno absente, non adsit peccatum in Sp. S. Primo sc. doctrinæ evangelicæ vel universæ vel partis eius, quam cum ad sensu certissimo planeque divino cognovit homo, pertinax ac obdurata abnegatio spontanea & plane libere, seu sine metu maioris mali facta, ex motivo boni adparentis seu lucri temporalis, requiritur. Secundo accedat oportet huius cum convictione agitæ adprobataque adeo veritatis divinæ blasphematio, ut pro absurdâ, mendace & diabolica venditetur. Tertio adesse debet veritatis illius atque eorum, qui hanc profitentur, vexatio dirissima, adeoque hostilis atque inimicissimus & in veritatem evangelicam & in huius defensores animus.*

### §. IX.

Hi vero, qui docent, peccatum in Spiritum *Hi in du-*  
*santum esse spontaneam & malitiosam agnitæ veri- as partes*  
*tatis salutaris abnegationem & impugnationem, in dispeſci*  
*duas iterum partes dispeſci possunt. Alii enim cre- possunt.*  
*dunt, crimen hoc tantum cadere in eos, qui doctri-*  
*nam Evangelicam publice unquam professi & a-*  
*etu renati fuerunt. Hanc sententiam tuetur, HÜL-*  
*SEMANNVM & HYTTERVM sequutus, QVEN-*

B

STEDT

STEDT in *System. Theol. Part. II. cap. II. sect. II. Qu.*  
*XVI.* p. m. 1060. & ex recentioribus modo laudatus  
 REVSCIVS in *Introd. in Theol.* p. 775. Alii vero sen-  
 tiunt, & a non renatis & doctrinam Evangelii nun-  
 quam professis peccatum hoc committi posse. Huic  
 opinioni addit̄os fuisse MVS CVLVM, MEISNERVM  
 & FEVRBORNIVM, b. QVENSTEDT l. c. p. 1061.  
 testatur. Et, ni fallor, eadem opinio placuit CEL.  
 CARPOVIO, qui & l. c. & alibi non abnegationem,  
 sed tantum oppugnationem veritatis coelestis & offi-  
 cii Sp. S. in conversione hominis peccatum hoc esse  
 dicit.

## §. X.

*Refuta-* Qui peccatum hoc proprium renatorum & ve-  
*tur opinio,* ram doctrinam publice professorum esse volunt, pri-  
 quod soli mum illius requisitum non attendisse mihi videntur,  
*renati* peccat. in scilicet, quod sit peccatum, quale a Phariseis & scribis  
*Spir. S.* committebatur, cum hi homines pessimi dicerent, Cris-  
*commite-* tum miracula edentem habere d̄monium. (§. 4.) Quod  
*re posint.* enim Pharisei & scribæ, Christum hostiliter aggressi,  
 & divina eius opera calumniati, unquam renati aut  
 Evangelium professi fuerint, aut oppido falsum est,  
 aut certe probari nequit. Evidem non nego, au-  
 ëtorem epistolæ ad Hebræos cap. VI, 4. seqq. de pecca-  
 toribus lapsis loqui, qui gratia Spir. S. illuminati &  
 conversi actu fuerunt, tamen, quoniam non asserit,  
 eos peccatum illud commisso, quod Christus blas-  
 phemiam in Spir. S. vocavit, ad hunc locum provo-  
 carī haud potest, quamdiu de natura huius peccati  
 controversia agitur. Ceterum fateor, homines  
 rena-

renatos & veram doctrinam publice professos huius  
criminis reos fieri posse; & id saltim contendeo, quod  
præcedens regeneratio & professio veritatis non ne-  
cessario requiratur ad peccatum in Spiritum S. & quod  
non soli renati sint huius delicti subiectum.

## §. XI.

Hoc vero exemplum Pharisaorum, qui in Spi- Refuta-  
ritum S. peccarunt, obiici illis non potest, qui sim- tur op-  
pliciter afferunt, ad peccatum hoc sufficere, ut quis nio, quod  
veritatem cœlestem, de qua convictus est, contra luntaria  
conscientiam finaliter impugnet & blasphemet, sive agnitus  
fuerit renatus aut veritatem publice professus, sive veritatis  
minus. Nam Pharisei, quibus Salvator noster cri- alnega-  
men illud exprobrat, utique convicti erant, vera es- tio & im-  
pugnatio se omnia, quæ Christus prædicaret, nihilo tamen mi- sit pecc.  
nus personam & doctrinam eius blasphemabant & in Sp. S.  
persecabantur. Sed nova oritur difficultas, quan-  
do irremissibilitatis, quæ est annexum, huius peccati  
inseparabile, rationem reddere debent. In eo omnes  
consentient, quod peccatum illud irremissibile sit  
propter ~~christianum~~ finalem. Illa vero finalis incredulitas  
aut necessario connexa esse debet cum veritatis agni-  
tæ impugnatione & persecutione, ut fiat peccatum  
in Spiritum S. aut non. Si posterius, illorum mens  
est: Quando quis in peccato contra Spiritum S. us-  
que ad finem vitæ suæ perseverat, illud remitti non  
potest. Sed hoc sensu quocunque peccatum irre-  
missibile est, & rectius irremissum, quam irremissi-  
bile diceretur. Nam ita sentiunt: qui cum peccato in  
Sp. S. ~~christianum~~ finalem connectit, illi non potest re-  
mitti;

mitti ; si vero illam evitasset, cum evitare potuerit, peccatum hoc illi quoque Deus condonasset. Sin vero prius obtinet, sc. *etatis* finalē cum sponte  
nēa veritatis agnitæ impugnatione & blasphematione necessario connexam esse, & utramque simul peccatum in Sp. S. efficere, verum quidem est, peccatum hoc remitti non posse, sed absolute esse irremissibile. Sed tum ulterius quārendum foret, quānam esset ratio huius necessarii nexus incredulitatis finalis cum voluntaria illa veritatis agnitæ impugnatione & persecutio? Aut illa ratio continetur in ipsa natura huius veræ doctrinæ impugnationis, aut in voluntate Dei, qui, hoc criminē commisso, omnia gratiæ media homini subtrahit, ita ut plane non possit converti, & in Christum credere. Sed utrumque membrum oppido falso est. Nam illa veritatis agnitæ abnegatio & impugnatio, quantumvis malitiosa & voluntaria, per se conversionem hominum & fidem in Christum minime reddit impossibilem. Quamvis enim huius generis homo rarissime, quod concedo, aut plane numquam *per media gratiæ ordinaria* convertatur, quo minus tamen Deus illum *extraordinarie* convertat, nihil impedit. Scilicet sicuti extraordinaria gratiæ media fortiora sunt ordinariis, & per illa multi homines conversi sunt, qui per hæc converti non potuerunt, sic & hominem obduratum, qui veritatem reclamante conscientia abnegavit, omnibusque ordinariis gratiæ convertricis mediis obicem constanter posuit, extraordinarie converti posse, nullus dubito. Nec obstat locus Ebr. VI. 4. seqq. Quod enim ibidem *absolute impossibilem*

impossibile dicitur, id secundum quid intelligi, & per ingentem conversionis difficultatem explicari debet. Hanc interpretationem non esse violentam, & intentioni Sp. S. contrariam, ex multis scripture locis manifestum est, quæ de impossibilitate loqui vindicantur, & tamen re vera tantum de difficultate quædam agunt. ex. gr. 1. Jo. III. 9. Matth. XIX. 26. coll. 23. Marc. X. 27. coll. 24. Luc. XVIII. 27. coll. 24. Multo minus impossibilitatis fidei & conversionis ratio quærenda est in voluntate Dei, quasi hominem, commisso hoc peccato, convertere nolle, & illum propterea omnibus gratiæ mediis ad fidem excitandam necessariis carere cogeret. Quemadmodum enim nullum peccatum adeo magnum & abominabile est, quin gratia divina, utpote infinita, illi remittendo sufficeret, sic & Christus pro omni peccato, quantumvis maximo & atrocissimo, plenissime satisfecit. Quoniam vero inferius hac de re copiosius loquar, vberiori illius explicatione & demonstratione nunc supersedeo. Interim ex dictis abunde patet, voluntariam illam agnitæ veritatis abnegationem & impugnationem dici haud posse irremissibilem, quamvis finalis incredulitas accedat, neque adeo crimen illud esse, quod Salvator noster peccatum & blasphemiam in Sp. S. vocavit.

### §. XII.

Itaque hæc mihi verior sententia esse videtur, *Verior quod peccatum in Spiritum S. sit malitiosa resistentia, sententia quæ extraordinariis gratiæ mediis a peccatoribus in proponitur. conversione sua opponitur.* Ille vero extraordinariis

gratiae mediis malitiose resistit, qui veritatibus cœlestibus probe intellectis & per evidentissima miracula demonstratis non assentitur, sed potius contra conscientiam illas negat, impugnat, blasphemat, neque adeo illarum virtute & efficacia se converti patitur. Inde manifestum est, peccatum in Spiritum sanctum, ex mea quidem sententia, ab eo committi, qui veritates ad salutem scitu necessarias, quas probe intellexit, & de quibus non solum evidenter principiis ac testimoniis, verum etiam a Deo immediate per miracula convictus est, negat, mendacia, & absurdas opiniones esse calumniatur, omnesque voluntatis inclinationes, quas illarum certa cognitio operari poterat, omni conatu impedit.

### §. XIII.

*Consensus  
aliorum  
proponi-  
tur.*

Ne quis vero sententiae novitatis specie statim in limine tractationis terreatur, ante omnia monendum mihi est, huius me non esse inventorem, sed eam iam placuisse b. IO. REINH. RVSIO, insigni quondam Theologo, qui in Harm. Evang. Lib. IV. cap. XIV. Tom. I. p. 1015. ita scribit. Omnes ergo reos fieri putamus peccati in Sp. S. qui extraordinariam Dei in miraculis per Mosen, Prophetas, Christum & Apostolos editis potentiam, & mera animi malitia, non vi aut metu coacti, nec ignari documentorum divinitatis & virtutis, qua exornati fuerint, variorum, convitiis proscindunt, & contra conscientiam diabolo adscribunt. Hoc ipsum factum fuisse Judæorum malitiam, quam Christus blasphemiam in Sp. S. vocat, multi ante eum confessi sunt. Ipse RVSIVS pro hac sententia laudat

laudat GENEBRARDVM, IANSENIVM, HACK-  
SPANIVM, LIMBORCHIVM. Per illustris & sum-  
me venerabilis DE MOSHEIM huius sententiae de-  
fensorem facit IO. HALE SIVM in erudita *comment.*  
*de vita, fatis & laboribus Haleſii.* p. 195. B. FECH-  
TIVS Theologi cuiusdam mentionem facit, in leſt.  
super Sill. disp. 16. §. 3. 4. 5. qui eodem modo de  
peccato in Sp. S. sensit, & ipſe fatetur, *sententiam hanc*  
*niti clarissima scripturæ expositione.* His addo LVCAM  
OSIANDRVM qui in not. ad Matth. XII, 31. 32. non fo-  
lum diserte testatur, Christum horribile peccatum  
Phariseorum, qui divina miracula Christi contra suam  
ipsorum conscientiam blasphemerunt, & principi  
dæmoniorum adscriperunt, vocasse peccatum in  
Sp. S. Sed etiam paulo post ita scribit: *Pharisei ex*  
*miraculis Christi, quorum ipſi multa coram viderant,*  
*in conscientia sua convicti erant, quod illa divina effent*  
*miracula, & quod Christus a Deo effet missus; sed quia*  
*ipſius personam oderant, malitiose & contra conscientiam*  
*admiranda opera Sp. S. non ex ignorantia, sed ex*  
*malitia, blasphemabant, & ea Satanae tribuebant.* Hi  
dicuntur Spiritum Sanctum blasphemare. Nec aliter  
peccatum in Spiritum Sanctum interpretatus est  
HAMMONDV, qui propterea laudatur a CLERICO  
in not. ad h. l.

#### §. XIV

Quamvis autem hi & forte plures alii tantum- *Explica-*  
modo fatentur, Phariseorum calumniam, qua opera *tur, & o-*  
Christi vere divina ex indurati cordis malitia Sa- *ffenditur,*  
tanæ adscribebant, fuisse peccatum in Spiritum san- *Phariseos*  
secundum *Etum,*

*hanc noti-* Etum, hæc tamen testimonia de singulari quortin-  
*onem pecc.* dam hominum facto sufficiunt, ad demonstrandam  
*in Spir. S.* notionis veritatem, quam supra §. 12. proposui. Ec-  
*commisso,* car enim Christus tot tantaque miracula in conspe-  
 etu Phariseorum edidit? Nonne hæc omnia eum in  
 finem facta sunt, ut illi persona & doctrina Christi  
 hostes evidentissime & solidissime convincerentur,  
 Jesum Nazarenum, quem tantopere odissent, &  
 persequerentur, vere esse Messiam Patribus promis-  
 sum, & omnia esse vera Dei oracula, quæ ex illius  
 ore audirent? Itaque hæc ipsa miracula, de quibus  
 tam contumeliose loquebantur, erant extraordinaria  
 media, quibus Deus aut Sp. S. cui opus regeneratio-  
 nis nostra appropriatur, ad illos convincendos &  
 convertendos uti volebat. Neque Pharisei in con-  
 scientia sua negare poterant, opera Christi esse ma-  
 nifesta & omni exceptione maiora testimonia, eum  
 esse Messiam & Prophetam a Deo missum. Ita enim  
 NICODEMVS suo & fratrum suorum nomine Chri-  
 stum alloquitur: *Rabbi, scimus, te a Deo venisse Do-  
 ctorem;* Nemo enim tanta signa edere potest, quæ tu  
 facis, nisi sit Deus cum illo. Jo. III, 2. Nihilo tamen  
 minus ex odio adversus Christum, & ex amore suæ  
 opinionis, quam de mundano Messia animo con-  
 ceperant, publice negabant, hæc esse opera divina,  
 & malitiose calumniabantur, Christum habere Spi-  
 ritum impurum, & per principem dæmoniorum  
 hæc prodigia facere. Estne vero hoc malitiose resi-  
 stere extraordinariis mediis, quibus gratia Dei in  
 hominum conversionem utitur? Estne hoc efficere  
 aut impedire, quo minus extraordinaria gratia Sp. S.  
opus

opus conversionis in cordibus hominum perficere possit? Videmus ergo, perinde esse, sive dicamus, peccatum in Sp. S. esse calumniam Pharisæorum, qua opera divina Christi Satanæ contra conscientiam adscribant; sive, illud esse malitiosam resistentiam, quæ extraordinariis gratiæ mediis in conversione hominum adhibitis opponitur. Sicuti enim Pharisæi Christi opera calumniati re vera extraordinariis gratiæ convertricis mediis obicem posuerunt, sic & illi, qui his mediis resistunt, & illis adhibitis suam conversionem impediunt, simili modo delinquunt, ac Pharisæi, peccati in Spiritum sanctum a Christo accusati.

### §. XV.

Iam non opus est, ut prolixè ostendam, priorem peccati in Sp. S. characterem §. 4. exhibitum *Exempla huius peccati, Et cur sint rariora?* in ea notione contineri, quam haecenus proposui. Vidi mus enim §. 14. crimen illud, quod ego peccatum in Sp. S. esse volui, esse tale peccatum, quale Pharisæi committebant, cum de Christo & eius divinis operibus contumeliose loquerentur. Similis facti reus erat Pharao, cum a Deo toties monitus Israëlitæ tamen dimittere nollet. Esse enim Dei voluntatem, ut hic populus ex Aegypto egredetur, & ut mandato per Mosen publicato obsequium præstaret, ipse in conscientia sua negare non poterat. Tot enim miraculis, quæ expertus erat, & quæ ne ipsi quidem magi, omni auxilio Satanæ suffulti, imitari poterant, Deus illum hac de re convicerat. Hæc miracula erant extraordinaria media Pharaonem

C

nem

nem convertendi. Sed nihil efficere poterant propter constantem & malitiosam resistantiam, quam Pharaon spiritui sancto opponebat. Quod rariora huius criminis exempla prostent, inde fit, quia vel rariissime miracula in regno gratiae eduntur, sufficientibus quippe mediis homines convertendi ordinariis, vel quia eum supremum malitia & indurationis gradum attigisse oportet, qui in Spiritum sanctum peccat. Hinc facilis erit responsio ad quæstionem, num & hodie adhuc peccatum illud committi possit? sane post Christi tempora & insignem illam Phariseorum, qui in Spir. S. contumeliosi fuerunt, malitiam peccatum illud commissum esse, aut committi saltim potuisse, non dubito. Cum enim Ecclesia per Apostolos fundaretur, Deus ad convertendos homines miraculis saepe usus est. Huius rei exemplum est ipsius D. PAULI conversio. Is si voci cum eo in via loquenti non obtemperasset, nec doctrinæ evangelicæ, quam ex ore Anania haudiebat, assensus fuisset, sed potius persecutioni præconum Evangelii, ut fieri poterat, inhäisset, certe in atrocissimum hoc peccatum contra Spiritum sanctum incidisset. Vid. Aet. IX. i. seqq. Sed postquam ecclesia testimonio & miraculis Spiritus sancti sufficienter fundata est, nec opus divina sapientia dignum esse videtur, miracula absque necessitate cumulare, & homines, qui ordinaria atque haec abundantissima media spernunt, extraordinariis convertere, non facile datur occasio, peccatum in Spiritum sanctum committendi.

## §. XVI.

## §. XVI.

*Ratio, cur Christus crimen hoc peccatum in Ratiopræ-*  
*Sp. S. vocare voluerit, duplex reddi potest; eadem-<sup>ma deno-</sup>*  
*que vel generalis, & ad quocunque peccatum in <sup>minatio-</sup>*  
*Sp. S. applicabilis, vel Specialis, & ad factum Judæo-<sup>nis pecca-</sup>*  
*rum a Christo damnatum accommodanda. Prio-<sup>ti in Sp. S.</sup>*  
*rem quod attinet, hanc esse arbitror, quod pecca-*  
*tum illud, de quo diximus, *summus gradus est resi-**  
**stantia operationibus Spir. S. in conversione hominum**  
**oppositæ. Nimirum quia opus conversionis vere divi-**  
**nun Spiritui sancto in specie appropriatur, in Sp. S.**  
*quoque peccat, quicunque auxiliis & operationibus*  
*gratiae resistit. Sed operationes ista sunt vel ordi-*  
*naria, vel extraordinaria. Et qui posterioribus obi-*  
*cem ponit, illius resistentia utique est fortior & ma-*  
*gis detestanda. Quare quemadmodum sæpe fit, ut*  
*nomen generis alicui speciei propter eminentiam*  
*aut intensiorem gradum simpliciter tribuatur, sic &*  
*illa malitia, qua gratia convertens extraordinaria im-*  
*peditur, speciatim dicitur peccatum in Spir. S. quia*  
*est præcipua huius peccati Species, & maximus illius*  
*gradus.*

## §. XVII.

Posterior ratio hæc est: Judæi admiranda divi- *Secundæ*  
*nitatis & omnipotentia Christi documenta in eius ratio.*  
*miraculis videbant, & quoniam nihilominus calum-*  
*niabantur, eum habere dæmonem, adeoque divini-*  
*tatem eius publice demonstratam blasphemabant, re-*  
*te in *Spiritum Sanctum* peccasse dicuntur. Etenim*  
*C 2* *divi-*

divinam Christi naturam aut simpliciter *Spiritum* aut cum adiecta determinatione *Spiritum Sanctum* dici, multa scripturæ loca testantur. Vid. Rom. I. 4. 1. Pet. III. 18. 1. Tim. III. 16. Inprimis vero infinitam filii Dei potentiam, quam blasphemabant Judæi, per Spiritum Dei intelligi, inde patet, quod Christus Luc. XI. 20. inquit, se dæmonia per digitum Dei expellere. Nam si Judæi blasphemare in Sp. S. rei dicuntur, quia opera Christi Satanæ tribuerant, quæ tamen ipse per digitum Dei fecerat, fane hic digitus Dei idem est, quod Christus Sp. S. vocat. Iam vero hic digitus Dei est omnipotentia divina. Vid. Exod. VIII. 19. Ergo in Sp. S. peccare est divinam Christi omnipotentiam blasphemare. Et quoniam demonstratio huius potentiae simul est manifestatio eius divinitatis, in Sp. S. peccare dici etiam potest divinam Christi naturam blasphemare.

### §. XVIII.

*In transi-  
tu expli-  
catu-, fit  
quid sit  
peccatum  
in filium  
hominis.*

Inde vero simul haud difficulter intelligi potest, quid sit peccatum in filium hominis. Scilicet hoc peccato in Spiritum sanctum opponitur. Quemadmodum igitur in Spiritum Sanctum peccare est Christum blasphemare, quando ille divinitatem suam evidenterissimis argumentis demonstravit; sic in filium hominis peccat, quicunque Christum lèdit, quando in statu exinanitionis suæ ut merus homo externe apparuit. Novimus enim, Christum ad tempus carere voluisse plenario divinorum idiomatum usu, atque ut alium quemcunque hominem nonnunquam comparuisse, ut pati & mori posset pro peccatis hominum.

minum. Phil. II, 6. seqq. Neque tamen in hac forma placebat Judæis. Docebat enim multa, quæ illis exosa erant. Refutabat illorum falsas legis interpretationes. Manifestabat eorum hypocrisim. Associabat se peccatoribus. Et id genus alia fecit, quæ minime probabantur Judæorum doctoribus. Inde occasionem avide sumebant sanctissimam Christi personam calumniandi. Huius generis blasphemiam Christus ipse refert Matth. XI, 19. Et qui illius rei erant, in filium hominis peccarunt. Nam Christus eo tempore saltim in forma hominis hominibus visus est, nec talia divinitatis & omnipotentiae suæ Specimina edidit, qualia tum videbant Pharisæi, cum criminarentur, Christum habere dæmonem, & per principem dæmoniorum elicere malos Spiritus.

### §. XIX.

Nunc tandem ad rei caput, agendum, accingamus, *Quando* disputaturi de peccati huius irremissibilitate. Peccatum. Evidem nondum probatum est, peccatum illud, *aliquid* *irremissibile sit?* quod ego blasphemiam in Sp. S. esse volui, vere esse *bile sit?* irremissibile, quamvis hoc sit peccati huius character proprius; inferius tamen certissime apparebit, cum in peccati cuiusdam irremissibilitatis causam veram & unicam inquisivero, atque eam in hoc solo peccato, quale §. 12. descripsi, conspicuam esse ostendero. Si peccatum aliquod prorsus irremissibile est, aut in se adeo grande & atrox est, ut Deus plane nolit huius generis peccatum condonare, aut non potest remittere, quamvis velit. Priori casu peccatum irremissibile foret ex defectu gratiæ sufficientis;

C 3 poste-

posteriori vero ex impossibilitate rei. Huius vero impossibilitatis iterum duplex esse potest fundamen-tum. Etenim aut nulla pro eiusmodi peccato præstata est satisfactio, aut, eo commisso, impossibilis est satisfactionis illius apprehensio, quae fides dicitur. Itaque si peccatum aliquod remitti haud potest,

1. aut deficit gratia sufficiens, h.e. voluntas divina peccatum illud remittendi.
2. aut non præstata est Satisfactio pro eodem;
3. aut, eo commisso, fides est impossibilis.

### §. XX.

*Peccatum  
in Spir. S.  
non est ir-  
remissibile  
ex gratia  
div. defe-  
ctu.*

Ob defectum gratiae sufficientis aut voluntatis Dei peccata remittendi nullum peccatum, adeoque nec peccatum in Sp. S. est irremissibile. Nam

1. Quamvis peccata gradibus a se invicem differunt, omnia tamen sunt infinitæ Dei essentiæ læ-siones, & mala, quæ infinito odio Deus aversari & detestari debet. Quodsi itaque ex his unum peccatum adeo magnum foret, ut Deus illud condonare nollet, neque adeo, quamvis posset, penitentiam & fidem dare, certe nec reliqua peccata remittere vellet. Gradus enim, quibus differunt, non variant essentiale, ut ita loquar, peccatorum malig-nitatem. Quare si Deus a se impetrare potuit, ut unum peccatum, quod est infinita sive essentiæ læsio, remittere vellet, gratia eius & remittendis quibus-cunque aliis sufficit, quæ ultra essentiæ divinae læsio-nem non assurgunt.

2. Qui

2. Qui peccati alicius atrocitatem tantam esse iudicat, ut illud, quamvis possit, condonare tamen nolit, illius gratia & misericordia non est infinita. Ecquid enim est infinita gratia, nisi propensio & inclinatio ad peccatorum quorumcunque, quantumvis atrocissimorum, remissionem? si peccatum aliquid adeo exuberaret, ut gratia divina illi remittendo non sufficeret, hæc sane finita foret, & certis limitibus circumscripta.

3. D. PAVLVS Rom. V. 20. inquit: *Vbi peccatum abundavit, ibi gratia supra modum exuberavit.* Peccatum abundare dicitur, cuius magnitudo & atrocitas plene apparet, ut ex præcedentibus verbis colligi potest: *Lex ingressa est, ut abundaret peccatum.* Lex enim non efficit, ut peccatum sit magnum, sed, ut atroci & detestabile esse cognoscatur. Itaque hoc vult Apostolus: Quamvis peccata ullibi deprehendantur adeo magna, ut atrociora esse non possint, tamen non licet de divina gratia desperare, quoniam hæc multis modis peccato omnī abundantior est, & nulla peccati atrocitas voluntatem Dei illud remittendi limitat.

4. Quando Deus Ezech. XXXIII. II. & alibi testatur, se nolle ullius peccatoris mortem, simul promittit, se peccata quæcunque, quantum in ipso est, remittere velle. Noluntas enim peccatum aliquod remittendi absoluta involvit voluntatem absolutam ut quidam peccator moriatur.

### §. XXI.

## §. XXI.

Dissen-  
jus

Hæc argumenta satis probant, Christum peccatum in Sp. S. non ideo irremissibile dixisse, quod gratia divina deficeret, ad illud remittendum sufficiens. Justo igitur duriora hæc mihi videntur verba IOANNIS CALVINI, quæ in Harm. Evang. ad Matth. XII. 31. 32. p. 159. leguntur. Certum est reprobationis signum in Spiritum blasphemia. Sicuti enim fieri posse negamus, ut qui vere Spiritu regenitus est, se in tam horrendum scelus præcipitet, sic rursus tenendum est, qui exciderint, nunquam resurgere, imo Deum hac quoque in parte gratiæ suæ contemptum ulisci, quod reproborum corda obduret, ut ad resipiscendam nunquam adspirent.

## §. XXII.

Nec est ir-  
remissibile  
ex defectu  
satisfac-  
tio-  
nem.

Peccatum in Spir. S. ex defectu satisfactionis pro eodem irremissibile esse, ideo negamus, quia Christus pro quocunque peccato satisfecit.

1. Testantur id loca scripturæ 2. Cor. V. 14. 15. Ebr. II. 9. 1. Jo. II. 2. & multa alia.

2. Si Christus pro peccato quodam non satis-  
fecisset, aut Deus pro illo sibi satisficeri noluit, aut Christus satisfacere non potuit. Sed utrumque membrum falsum est. Prius arguit defectum gratiæ & voluntatis divinæ quædam peccata remittendi, quem refutavi §. 20. Posterior tollit verum & præcipuum Mediatoris characterem. Christus enim, qui pro peccatis nostris satisfecit, & divino intellectu prædictus est, quem cum humana natura communi-

cave-

caverat, ut hæc quoque peccati in Sp. S. atrocitatem comprehendere, illud sibi ipsi imputare, & inten-sissimos dolores, quos tam grande scelus efficere debebat, sentire possit. Itaque & pro hoc peccato satisfecit.

3. Quod nisi fecisset Christus, Judæos huius criminis reos semel factos, ut ad frugem se revocari paterentur, hortari non potuisset, quod tamen fecit, maxime post ultimum ingressum in urbem Jerusalem. Homines enim ad pœnitentiam vocare nihil aliud est, quam illos hortari, ut satisfactionem pro illorum peccatis præstitatam fide apprehendant.

### §. XXIII.

Evidem *celeberrimus Theologus IAC. CARPOV,* *Dissensus cuius fidelissimi præceptoris magna in me merita æ-Appa-ternum veneror, aliam sententiam tueri videtur, ren.* quando in Theol. Rev. Tom. II. §. 396. afferit, *pro peccato in Sp. S. consummato Christum satisfactionem non præstisse.* Sed monendi sunt lectors nostri, eum ad essentialia huius peccati incredulitatem finalem re-tulisse, adeoque pro hoc peccato non satisfactum esse a Christo afferuisse, quatenus non satisfecit pro *anima* finali. Ego vero finalem incredulitatem potius con-sequens, quam essentialie huius peccati esse volui. Quare si eius argumenta adgredi vellem, ad aliud certamen mihi descendendum foret, quod tamen ad præsens negotium non pertinet. Sunt tamen non-nulla, quæ sententiam meam proprius tangere viden-tur, & quæ ut distinctius evoluta essent, vehementer opto. Fecit id forte Vir Incomparabilis in scriptis re-

D

cen-

0263

centioribus novo suo adversario oppositis, quæ tamen mihi a literarum commercio paululum remoto legere non contigit. Itaque, quid mihi videatur, ex animo discendi cupido proponam. Nam a tanto viro doce-  
ri, quam cum eo disputare malo.

## §. XXIV.

*Monitum  
de satis-  
factione  
non præ-  
stata pro  
in credu-  
litate fi-  
nali pri-  
mum.*

Quando probat, Christum pro incredulitate finali, atque hinc pro peccato in Sp. S. cui illa adhæret, non satisfecisse, hoc argumentandi genere utitur: *Si Christus pro finali incredulitate satisfecisset, illam Deus dupliciter puniret, sc. in Christo & in homine finaliter incredulo.* Ratio consequentiæ: *Quia homines finaliter increduli damnantur.* Cum vero conse-  
quens iustitiae divinæ repugnare illi videatur, ante-  
cedens quoque falsum esse adserit. Vid. Theol. Dogm.  
Rev. Tom. II. §. 395. Quodsi hoc argumentum sibi constaret, meæ quoque assertioni opponi posset, quod scilicet Christus pro peccato in Spiritum sanctum satisfecerit. Quamvis enim nego, incredulitatem hanc finalem ad essentiam peccati in Sp. S. pertinere, negare tamen non possum, illos, qui hoc scelus semel perpetrarunt, æternæ morti obnoxios esse, & aëtu damnari. Assensum vero meum moratur, quod hæc argumentatio generale illud prin-  
cipium supponere videtur: *Quodcumque peccatum in ipso homine æterna morte punitur, pro illo Christus non satisfecit.* Sed, hoc concessio, nullum est peccatum damnatorum, pro quo satisfactio præstata est a Christo. Nam finaliter increduli non solum propter ~~amisit~~ finalem damnantur, sed potius omnium pec-  
cato-

catorum poenas dant, quia hæc, deficiente fide, illis nunquam remissa fuerunt. Hoc vero ne ipsi quidem celeberr. CARPOVIO placere, vel inde patet, quod asserit, Christum pro omnibus peccatis contra legem operum satisfecisse.

### §. XXV.

Non adeo absconum mihi videtur dicere, *Christum pro incredulitate finali quidem satisfecisse, sed hoc secundum mines nihilominus propter illam danunari, quia hanc satisfactionem nunquam apprehendunt.* Qui enim sic sentiunt, horum, arbitror, mentem hanc esse: *Christus præstít satisfactionem, quæ nunquam apprehendi potest.* Et contra hanc sententiam nihil aliud obiici posset, quam quod eiusmodi satisfactione superflua & frustranea foret. Verum ad id responderem: Satisfactionem hanc non quidem prodesse ad actualē peccatorum remissionem; esse tamen alio respectu magnæ utilitatis; quippe per illam declarari, Deum omnes homines salvare seriō velle, nec quicquam pratermississe, quod ad hominum salutem necessarium videri poterat; vocationis reprobatorum eandem esse rationem; per illam enim reprobatos aetu non converti; illis tamen Deum deesse haud potuisse, ne culpa damnationis eiusmodi hominum in ipsum Deum relaberetur.

### §. XXVI.

Monet celeberrimus Auctor Sch. 4. §. 395. l. c. *Monitum Christum quidem pro omnibus peccatis contra legem operum, sed non pro omnibus contra legem fidei satisfecisse.* Sed quid respondendum nobis foret, si quis ex illius

placitis obiiceret? Incredulitas finalis est peccatum contra legem fidei; (Theol. Rev. Tom. II. §. 64.) Huius vero legis summa est: Crede in Christum finaliter; (Ibid.) Sed ipsa lex naturae quibusdam ex revelatione suppositis, hanc specialēm infert: Crede in Christum; (Ibid. §. 62.) Et quia lex naturae in decalogo continetur, eadem lex dici potest lex operum; (Ibid. §. 64.) Jam vero Christus pro omnibus peccatis contra legem operum satisfecit; (Ibid. §. 395. Sch. 4) Ergo & pro incredulitate finali.

Has difficultates, in quas causam irremissibilitatis peccati in Sp. S. querens forte incidi, certe non alio fine propono, quam ut mihi & aliis satisfiat, qui mecum de veritate huius theses adhuc dubitant, & a viro acutissimo in re tam perplexa erudiri cupiunt.

### §. XXVII.

*Pura causa  
peccati  
in Sp. S.  
irremissi-  
bilitatis  
qua esse  
possum?*

Vidimus hucusque, peccatum in Sp. S. neque ex defectu gratiae sufficientis neque ex defectu satisfactionis pro illo praestitæ irremissibile esse. (§. 20. 22.) Iam vero præter has irremissibilitatis peccati cuiusdam causas alia concipi haud potest, quam impossibilitas fid ei. (§. 19.) Ergo si peccatum in Sp. S. remitti haud potest, ex hac sola causa irremissibile esse debet, quod fidem in Christum absolute impedit, & impossibile reddit.

### §. XXVIII.

*Pecc. in  
Sp. S. im-  
possibilem  
reddi-  
fem.*

Fidem vero & penitentiam per peccatum in Sp. S. absolute impediri, seu, ut distinctius loquar, hominem in hoc scelus semel lapsum penite're aut in Christum credere haud posse, quamvis Deus eum convertere serio velit, ex his thesibus manifestum erit:

¶ Fides

1. Fides est donum Dei omnipotentis, nec homo ex viribus naturalibus in Christum credere potest;
2. Largitur vero fidem hominibus per quædam media, quæ aut ordinaria aut extraordinaria sunt;
3. Atque his ita operatur Deus, ut homini non sit impossibile, illis mediis resistere, adeoque fidem quam Deus homini conferre scio & efficaciter volebat, impedire;
4. Resistentia, quæ tantum ordinariis mediis ad convertendos homines destinatis opponitur, fidem non prorsus impedit, aut impossibile reddit, quoniam extraordinariis, quæ ordinariis plerumque fortiora sunt, illa vinci, & fides homini conferri potest;
5. Qui vero extraordinariis gratia mediis obicem ponit, multominus ordinaria in se operari patitur, & hinc nullo modo converti potest.
6. Cum ergo peccatum in Sp. S. sit malitiosa resistentia, quæ extraordinariis gratia mediis in opere conversionis opponitur, (§. 12.) hoc quoque peccatum fidem in Christum impossibile reddit, hominumque conversionem absolute impedit.

### §. XXIX.

Quoniam itaque peccatum in Spir. Sanct. hominem ita indurat, ut amplius converti & in Christum credere non possit, (§. 28.) & sine fide nulla peccatorum remissio speranda est, (per princ. th.) *Et hoc est vera irremissibilitatis causæ,*  
*Christus peccatum hoc recte dixit irremissibile, non aliam huius irremissibilitatis causam supponens, quam fi-*  
*dei*

*dei impossibilitatem, resistentia tam malitiosa contractam.*  
 Id pro sua scripturam interpretandi scientia probe intellexit B. LUTHERVS noster, qui in *Sermone de pecc. in Sp. S.* inquit, peccatum hoc esse, quod tanquam peccatum ab homine agnosciri nec vult nec potest, quamvis homo illius & extraordinarie a Spiritu Sancto convincatur. Et quoniam peccatorum agnitus illorum remissionem praecedere debet, inde concludit, peccatum hoc remitti haud posse. Est autem peccatorum agnitus pars penitentiae, & hinc necessarium fidei requisitum. Quando igitur peccatum in Sp. S. propter impossibilitatem agnitionis illius irremissibile esse dicit, sane, fidei impossibilitatem uniam & solam huius irremissibilitatis causam facit.

LUTHERI oratio citata legitur circa finem  
Tom. XIV. Opp. Ed. Lips.







VI 29

= Dissertationes theol.  
Vol. 43.]







19

DE  
**P E C C A T I**  
**I N S P I R I T V M S A N C T V M**  
 IRREMISSIBILITATE  
 DISSERTATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA  
 Q V A M  
 MODERATORE ATQVE PROMOTORE  
 VIRO SVMME VENERABILI  
**CHRISTOPHORO TIMOTHEO**  
S E I D E L I O

S. THEOL. D. SEREN. BRVNSV. AC LVNAEBVRG. DVCIS SUPERINTENDENTE  
 GENERALI, CAPITVL. IMPERIALI LIBERI REGIO-LOTHARIENSIS ABBATE,  
 S. THEOL. PROFESSORE PRIMAR. IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA,  
 ET PROT-ECCLESIASTE ELMESTADIENSI ACAD. H. VICE-RECTORE,  
 FACVLT. THEOL. DECANO ET AD HVNC ACTVM CLEMENTISSIME  
 CONSTITUTVO PRO-CANCELLARIO,

PRO SVMmis IN THEOLOGIA HONORIBVS  
 CONSEQUENDIS

D. VII. MARTII M D C C X L V I I I .

HOR. ANTE ET POMERIDIANIS

IN IVLEO MAIORI

PVBlico EXAMINI SVBMITTET

A V C T O R  
**IOANNES ERNESTVS SCHVBERT**

PHILOS. D. ILLVSTRISS. COMIT. SCHAVMBVRG. AC LIPPENS. A. CONSIL. SACRIS  
 EIVSD. COMITATVS SVFPRINTENDENS, ET PROT-ECCLES.  
 STADTHAGENSIS.

RECUSA A. C. M D C C L I V .

(6 $\frac{1}{2}$ )